942

ORATIO ANNIVERSARIA

IN

THEATRO

COLLEGII REGALIS MEDICORUM LONDINENSIUM,

EX HARVEII INSTITUTO

HABITA,

A. D. M.DCC.XC.

FESTO DIVI LUCÆ,

A JOANNE ASH, M.D. Coll. Reg. Med. Lond.
Soc. R. et S. A. Socio.

Τοῖς γὰρ θανοῦσι, χρὴ τον ἀ τεθνηκότα
Τιμας διδοῦσα. Eurip. Phoeniss.

——τὺς θανόντας ἐκ εᾶς τεθνηκέναι.
Id. Melanip. Stobæi.

LONDINI:

Apud J. Robson, 1790.

VIRO EXCULTISSIMO

GEORGIO BAKER, M.D. et BARONETTO,

PRÆSIDI DIGNISSIMO,

SOCIISQUE ORNATISSIMIS,

COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIUM,

HANC ORATIONEM,

ILLIUS JUSSU NON REPUGNANDO,

EORUM HORTATU NON NEGLIGENDO,

QUIBUS MAXIMUM DEBETUR OBSEQUIUM,

IN PUBLICUM EMISSAM

EA QUA SEMPER COLENDI SUNT OBSERVANTIA

D. D. D.

JOANNES ASH.

BROMPTON,
Decembris Cal. VII. M,DCC. XC.

ORATIO

ANNIVERSARIA HARVEIANA.

QUANQUAM nihil mihi optabilius, dignissime Præses, vosque omnes, Medici selectissimi, potest accidere, quam ut mea vobis observantia, meaque præstantissimo huic collegio reverentia, nunquam defuerint, necessitudini tamen, hodierno die, in medium prodeundi, arduasque *Oratoris* partes sustinendi, annum jam penè agens septuagenarium, gratiam, licuisset modo, lubens feciſſem. Viros celeberrimos, qui de patriâ, de

humano genere, egregiè meruerunt, laudibus evehere, dulce quidem eſt et honorabile: dignè tamen hoc efficere, et pro eorum virtutibus, opus eſt omnino aleæ plenum ac difficile, præſertim ſi in memoriâ habeamus, pleroſque jam memorandos, non ſolum antehâc, per multos annos, et in hoc loco memoratos fuiſſe, ſed ſæpiſſimè, a viris facundiſſimis, pleno ore, collaudatos.

Cum majorum noſtrorum fama, ſuâ etiam gratiâ auditores teneat, ſuâ magnitudine, omnium admirationem moveat; et quorum facta, memorare quiſque puſillus, exornare verò, quis poteſt vel eloquentiſſimus?

Sed ex auctoritate et inſtituto Harveii noſtri mos obtinuit, ut nos, hominum de nobis optimè meritorum, eo ipſo præcipiente, retro et a tergo annuam aggrederemur commemorationem: ut ii,

quorum munificentiâ, quorum nominum et exemplorum laudibus, res noſtræ in talem amplitudinis gradum efferantur, gratâ & ſolenni oratione concelebrarentur.

Enixe igitur a vobis peto, chariſſimi auditores, ut faveatis, dum mihi munus, a *ſummâ auctoritate* demandatum, noſtris in medicinâ majoribus, præconia tribuendi, et clariſſima eorum facta pro viribus ab interitu ſervandi ita ſit inceptum; et, uti ſpero, ludibrio et deſpectui non habendum; et cum a *vobis expoſtulantibus*, præcipuè in hoc incubuerim, veſtrum erit conamina mea æquo animo accipere, ſenioque jam dilabenti, condonare.

Consilium autem eſt hujuſce inſtituti, ut pulchriora majorum facta, non tantum a nobis, ſed a poſteris, non tam memoriâ et ſermone recolenda, quam vivendi ratione & moribus ſint exprimenda:

ſin ſic res ſeſe habeat, quicunque haſce laudes ægrius ferant ; videantur, quod parvum argueret animum, ob aliena dolere merita : vel quod iniquiſſimum fuerit, communibus omnium commodis miſerè invidere : qui enim fructus in uberiorem meſſem poſſint aſſurgere, quam ſi illorum, quibus ſemina eruditionis accepta referamus, perquam maxima effloreſcant præconia. Virtutes gratioribus ſaltem verbis prædicemus, quas minus fortaſsè licebit factis attollere, et cum amore ſequamur eos, delicias noſtras, quos etiam longo ſequi intervallo haud erit ignobile aut inglorium.

Feſtus hic dies eſt, et Evangeliſtæ ſanctiſſimo Lucæ conſecratur. Is natione Syrus fuit, Antiochenſis, profeſſione medicus : vir, ut et a ſuis, et aliorum de eo ſcriptis ſatis apparet, inſigni ingenio. Quique dum, CÆLESTEM SUUM, ex quâcunque occaſione, DOMINUM, MEDICUM UTPOTE SUPREMUM

SUPREMUM, CERTISSIMUMQUE HUMANÆ SALUTIS AUCTOREM indicaret, ipſe humanitatem divinitûs adeo omnibus præſtitit, ut a poſteris in cultu quodam et admiratione haberetur, utque *demum* hanc artem patrocinandi ampliſſimam ſummo dignaretur honore.

SIN autem, hodierno die, de artis præſtantiâ noſtræ, vel de medicinæ hiſtoriâ multam haberemus orationem, in immenſum profecto campum diffunderetur. Non de Græcis, non de Romanis, non de Arabicis medicis dicendum eſt. Sed ea eſt hujuſce diei feſtivitas, cum venuſtate conjuncta, ut primarii noſtri ordinis, *viri* quorum imagines hic & inde affixas contemplemur; quorum benefacta, votivis noſtris tabulis, enarrata intuemur, æternam ſibi comparatam habeant memoriam; quorum etiam munificentia, hunc jam in locum, in feſto hoc die, convenimus, ubi epulum tam lautum inſtruitur hodiernum: ea enim erat

Harveii

Harveii animi hilaritas, jam jam admodum ſenex, ut non ſapienter magis quam magnificè ordinatum voluiſſet.

Quis autem ex his illuſtribus viris primum ſibi vendicet locum? Ille pro certo, qui primus hoc inſtituit collegium, omnium utiliſſimus, Linacrus: cujus equidem ingenium, in ſuboſcuro eo, quo vixerat, ſeculo, quaſi nova quædam lux, inſperato exortum eſt, ad patriam recreandam, et illuſtrandam: ut erat, ſingulari indole, et ad omnes diſciplinas, in quibus literarum haberetur ratio, promovendas aptiſſimâ, ità nullum, quo poſſit inſitam vim animi excolere et audaugere, ſtudium aut conſilium neglexit. Doroberniæ fuit natus, et in Oxonio ſuo diu commoratus eſt, ut in ſcientiis abſolutus & perfectus fieret: ſi quæ ſcientiæ illa puriore luce extra monachorum clauſtra illuſtrabant tempora; et ibi vix et ne vix quidem, aliquod lumen, ſed ſubluſtre, ſed dubium, fundebant;

bant; attamen literis Latinis fuit accuratè et exquisitè eruditus.

Et Græcarum causâ colendarum in Italiam migravit: in Italiam, tunc temporis, uberrimis florentem ingeniis, et perenne humaniorum literarum et elegantiæ politioris domicilium: et ubi Græci eruditissimi, Constantinopoli a Turcis captâ exoptatam sibi sedem invenerant.

Ibi Linacrus eximio favore fuit acceptus a Laurentio Medicæo, viro suæ ætatis excultissimo, et literarum omnium fautore insigni.

Quantus autem fuit Fundator noster, in omni genere literarum excolendo, multi testantur auctores. Quantus in literis Romanis excutiendis, sua emendata structura Latini sermonis testatur. Quantus in omni medicinæ scientiâ, sua scripta medica testantur. Quantum animi fuit acumen, quam

mira

mira in arte ſuâ exercenda felicitas, teſtis eſt inſtar omnium, quod ad regii juvenis, qui fuit ſpes et ornamentum patriæ ſuæ, ſanitatem tuendam, mandatus fuit.

QUIBUSCUNQUE autem honoribus Linacrus noſter pro omni genere literarum excolendo, et præcipuè pro ſummâ in arte noſtrâ ſolertiâ, a civibus ſuis fuerit cumulatus, cordatior tamen et majori gaudio in amplexus noſtros acceptus eſt: primordia noſtræ reipublicæ, ſecundiſſimis auſpiciis poſuit: diſjectos ille et diſſipatos quaquaverſum medicos in collegium congregavit, mœnibus ſepſit, legibus ſancivit.

EGREGIUM hunc virum ſummis laudibus prædicamus, non ob benevolentiam, quæ in eo maxima inerat, non ob literarum peritiam, in quibus maximè fuit verſatus et exercitatus; non ob cæteras quamplurimas virtutes, quibus abundè floruit;

ruit: ſed ob eximiam illam animi ſagacitatem, ut ex iis medicis, qui præ cæteris doctrinâ, famâ, et virtute pollebant, in perpetuum ſodalitium conſtituerit.—Hoc regii favoris teſtimonium gratiſſimum Linacro noſtro debemus; qui in eâ aulâ, quâ maximas res potuit obtinere, gratiâ tantum ad hanc ſocietatem ſtabiliendam eſt uſus.

Primus novi ſui collegii Præſes extitit Linacrus, et in eodem officio, ſibi maxime jucundo, ſeptem annos permanſit: cœtus in ipſius domo congregabantur; quam ipſe moriens communitati legavit, quæque ab ea etiam nunc poſſidetur.

Honores noluit ambire: divitias largas noluit comparare: nobis præeſſe, ſatis ſibi gloriæ. Nos ornare, nos ad maturitatem perducere, et ſtudiorum fœdere, et liberali ſocietate conjunctos, in perpetuum habere, ſtudio et labore ſemper contendit. Probe intellectum habuit, quanta

ad nos commoda e consortio ipso invicem redundarent.

In hâc communitate consociati, his etiam temporibus, ut olim sub illius auspiciis, illiusque nomine, contra empiricos, militiam quandam perpetuam geramus; et inscientiam in arte nostrâ omnem in posterum impugnemus: ne Medicina, a fundatore tandem in summam libertatem vindicata, et in templum hoc nostrum honorificè evecta, ne Dea ipsa Medicina a sedibus suis in præcipitem data, iterum vilesceret, et in servitium inter populorum fæces, recideret.

Hoc animo, tanquam Lycurgus alter, fundamenta civitatis suæ in primariâ incolarum institutione posuit. Prælectiones enim duas medicas fundavit Oxonii, et unam fundavit Cantabrigiæ: in quibus, in Hippocratem, authorem vetustissimum et optimum, in Galenum medicorum Græcorum omnium

omnium longe eruditiſſimum, commentarios legendos ſtatuit: ita, ut in ſcholis noſtris, principium et quaſi ſeminarium reipublicæ noſtræ eſſet perpetuum, unde ſocii ſui, in arte optimis inſtitutionibus eruditi et exercitati, in collegium ſuum, quod tum tacito meditabatur conſilio, transferrentur.

LINACRUM proximus, et paſſibus omnino æquis, celeberrimus ſubſecutus eſt CAIUS. Quibus tanta morum conſuetudo, tanta animorum et ſtudiorum conjunctio intereſſet, ut unum et alterum diceres: pari enim literarum progreſſu, pari honorum gradu, eâdem in communitatem noſtram gratiâ, eodemque animi impetu fuere eximii. Ambo artium omnium, et præcipue artium medicinalium ſitientes, ambo doctrinæ fontes in Italiâ recenter recluſos adierunt. Ambo in veterum libris transferendis et edendis, egregiè elaborarunt. Uterque, in patriam redux, habuit regiæ valetudinis curam ſibi demandatam; uterque præſidis

hujuſce noſtri collegii munus ſibi delegatum. Annales noſtros Caius ſummâ elegantiâ compoſuit; maligniſque conſiliis quibuſdam tunc temporis contra noſtram civitatem ſuſceptis, res noſtras, et auctoritatem, et jura, fortiter in ſenatu vindicavit: ſtatum et dignitatem collegii noſtri poſtea novis legibus feliciter corroboravit, et ſtabilivit.

Non vero hujuſce ſocietatis tantum ſuſcepit tutelam; ſtudio et amore erga homines omnes incitatus erat; et, ne natale ſolum munificientiæ illius et culturæ liberalis expers relinqueretur, ſocietatem medicam in Cantabrigiâ ſuâ fundavit. Quam valdè laudes omnes noſtras, quam valdè poſterorum gratias, meruerit hoc Caii collegium, quod ex eo duo maxima non modo civitatis noſtræ ſed etiam patriæ decora et præſidia, Harveius et Gliſſonus, quorum laudes mox celebrabimus, pro luminibus et humanæ naturæ ornamentis, exierunt.

ANATOMIÆ ſcientiam princeps excoluit Caius, et inventis ſuis quamplurimis locupletavit. Hortante rege ipſo, ſtrenuam prælectionibus operam per annos fere viginti impendens, medicinæ rationalis fundamenta quodammodo primus poſuit; et facem Harveianam, lucem ſplendoremque mox in medicinam apportaturam, luminoſo animi vigore, præaccendit.

A PRINCIPIBUS hiſce viris hoc noſtro collegio tam felicibus auſpiciis poſito, haud etiam naſcenti auctoritati, in majorem utilitatem adaugendæ, multos alios deeſſe deplorandum eſt, qui fundatorum vota noſtrorum ad omnia adimplerent.

INTER hos, cæteris eminentior, enituit CALDWALLIUS, Elizabethæ reginæ medicus, et collegii hujuſce decus et tutamen. Hic vir, ad nobilem Linacri civitatem ulterius promovendam, ſodalitium tam bene ſtabilitum, amicitiæ quodam pignore

nore ſibi magis devincire ſtuduit: quocirca (Lumleio, divitiis affluente, in opus adſcito), prælectionem chirurgicam inſtituit, ampliſque muneribus dotavit.

Alteram, Gulſtoni donum, prælectionem habemus: quæ etiam anatomiæ ſtudio provehendo inſervire poterit, ut viſcerum ſtructura, et internæ morborum ſedes, in lucem proferantur. Nos itaque in hâc palæſtrâ ex omni parte optimè exercitatos voluerunt hi viri optimates; mancam et debilem medicinam opinantes, ni ſocii noſtri forent ſemper bene parati conſilium ſaltem dare, etiamſi non operi ipſi manus admoveremus.

Ex hac cathedrâ Caldwallianâ quos fructus abundantes acceperat res medica, abunde teſtantur annales: Harveius — et te, divine ſenex, te, vir beatiſſime, ſummâ admiratione adveneror.

Harveius, immortale illud cathedræ hujuſce columen, et nobiliſſimum collegii noſtri ornamentum, teſtis eſt clariſſimus. Harveio, in hac cathedra conſedenti, muneribuſque conſtanti animo perfungenti, et ea magnæ auditorum frequentiæ præmonſtranti, viam aperuit culter anatomicus, non ad famam ſuam, nam hucuſque ea ſumma fuit, ſed ad praxin in medicinâ rationalem eximiamque confirmandam. Intima naturæ penetralia perſcrutatus eſt: cordis fabricam, perpetuos ſanguinis per venas, valvis innumerabilibus inſtructas, RECURSUS, incredibili animi acumine, non modo depinxit, ſed explicuit etiam, atque demonſtravit. Harveius, ſemper operi intentus, ſimplex, patiens laboris, univerſam corporis humani ſtructuram oculis ſubjecit. Quanti vero ſit ponderis, quantæ utilitatis, ſive ad morbos omnes plenius cognoſcendos, ſive ad debitam ſanguinis miſſionem, ſive ad remedia in omni morbo rectius adhibenda, facilius eſſet mihi explicare, quam vobis, in his omnibus

omnibus non tantum edoctis (ſed id quod majus eſt) maximè expertis, neceſſarium fuiſſet.

Si tantus apud vos, auditores, ſit Linacro honos, qui ædes fundaverit, opus, pro certo, omnium utiliſſimum, et omni laude digniſſimum! Si tantus ſit Caio honos, quod ædes fundatas protexerit et conſervaverit; et ea ornamenta, quæ *virtutis* ipſe *inſignia* vocavit, excogitaverit et adjecerit, ut ea ſplendidiora nos ad virtutem aſſiduè colendam, reſque noſtras fortiter et conſtanter tuendas, quotieſcunque ea cerneremus, ardore accendant! quâ tandem *Harveium* veneratione accipietis? qui medicinam ipſam de novo reſtauravit; erroris omnes nebulas in arte ipſâ, uti ſol ætherius, diſſipavit; et certam experimentorum fidem vanis opinionibus opponendo, magnum illud medicinæ hucuſque arcanum, ſanguinis circuitum detexit; arcanum, quod ſubtiliora antiquitatis ingenia haud unquam vel levi conjecturâ innuiſſent;

haud

haud enim vel in Hippocrate vel in Ariſtotele minimum exſtat tantæ veritatis veſtigium.

Ad celebrandos hujuſce viri maximi triumphos, quis non laureâ tempora illius Apollinari donare cupiat? Quis non exultante animo flores ſpargat? Et quis, choros inter canentium innumerabiles, vocem attollere non geſtiat?

Tam bene ſtabilito ſanguinis circuitu, complures magni nominis viri, in hâc noſtrâ palæſtrâ exercitati, ad artem rationalem magis exornandam ſeſe accinxerunt. Quique omnes, licet intra anguſtiores aliquot partes corporis, vel viſceris cujuſlibet, limites coerciti operam tamen optimè præſtiterunt: inter hos quare Lowerum, Whartonium, vel Glissonum vobis nominaverim? Gliſſonus autem in phyſiologiâ Harveio fuit proximus, primoque penè par, ſingulari dignus eſt commemoratione.

Hic vir etiam rebus collegii anatomicis, et poſtea collegio ipſo meritiſſimus fuit Præfectus. Hic cum Harveius tam mirâ ſolertiâ primarias functiones vitales explicuiſſet, Harveio duce, functionum naturalium fortiter in ſe explicationem ſuſceperat: primus, et antiquorum et recentiorum medicorum, non minore diligentiâ quam ſolertiâ Hepatis ſtructuram, tam internam quam externam, dilucidavit; et usum Hepatis in œconomiâ quam vocamus animali, in clarâ luce et ob oculos medicorum, ad iſtum diem ignotum, aptè collocavit: Et Harveio duce, *arcanum aliud* in medicinâ detexit; arcanum quod ſubtiliora antiquitatis ingenia, non re, ſed opinione ducti, attingere conjecturâ nequiverint. Glissonus eodem modo minutiores ventriculi fibras et inteſtinorum indagavit, modumque parandi chylum, ſicut antea ſecernendæ bilis rationem pari ſagacitate et elegantiâ demonſtravit: et Gliſſono monſtrante viam, Hallerus, phyſiologus ſolertiſſimus, experimenta

ejus ulterius proſequendo, *proprietatem* illam fibrarum animalium, per quam nullo dolore comitante irritari poterunt, et quam in fibris quibuſdam animalibus vivis ineſſe, ſicut in materiâ univerſali *gravitatem* perdocuit: et hic phyſiologus præſtantiſſimus doctrinam, Gliſſono noſtro, jure maximo, referendam ampliori explicuit modo.

Sin ſummis præconiis cumuletur Harveius, quippe quod fundamenta artis in ſempiternum ævum conjecerat, vix minoribus accipiendus eſt honoribus SYDENHAMUS; qui in ea ædificium concinnum, ex omni parte firmum et elegans, ſuperſtruxerit. Verum ſane ſi omnium recentiorum ſcripta evolveres, neminem invenies ita cautis atque tutis gradibus *per ignes cineri doloſo ſuppoſitos* incedentem: huic enim erat ingenium adeo in artem medicam comparatum, ut ſi nullius in verba juraret, nullius libros compilavit; ſed ægrorum lectis mirâ ſedulitate aſſidens, quid natura ipſa faceret, vel quid ſuſtinere poſſet, curioſiùs inveſti-

gaverit. Nullius imperio ſubditus, non ullas huic vel illi ſcriptori aptas opinionum commentationes excogitavit, ſed, quod reverà factum fuerat, expoſuît; fidi hiſtorici partes agens nihil falſi dicere auſus, nihil veri non auſus eſt.

Omnes morborum hiſtorias, ſummâ fide, ſummo judicio, enarravit; ut quid, in quâque mortalium ægritudine natura ipſa indicet, adeo accuratiùs deſcripſerit, ut varietates et morborum diſcrimina minutiora adeo ante oculos expoſuerat; ut quibuſcunque ornamentis vel neceſſariis ſupellectilis partibus, ædificium ſuum decoraverit, omnia de ſuis obſervationibus deprompta fuerint, certamque medendi rationem, omnino *ſuam*, quaſi digito monſtraverit lectoribus.

Si inter medicos perdoctos, ſub ſeveriori diſciplinâ inſtitutos, Radclivius haud eſſet enumerandus, ab eo tamen diſcendum eſt, quid a celere promptoque

promptoque animo, ſine literis, quid ab homine acutiori, naturâ uſuque ſagaci, fieri poterit. Hic enim vir ſingularis, abnormi ſapientiâ, ingenio ſuo, et experientiâ maximè fuit eruditus; adeo ut cæteris omnibus præiret, medicorum ſui temporis facilè princeps atque tyrannus: mores hominum et vitia, æquè ac eorum morbos, ille vafer intellexit, et nemo tanto ſale tantâque libertate notavit. Plurima tamen, et perquam maxima, in res medicas ſolertiâ ſuâ contulit. De inſtantibus morbis veriſſimè judicavit, de futuris callidè conjecit: adeoque ut omnem expediret morbi cauſam, pauca ſed neceſſaria remedia imperando, eventus omnium ſecundaret. Et per immenſam remediorum præcidendam farraginem, quam aut recentiorum ignorantia, uſu atque experientiâ minimè dominantibus, vel inepta antiquorum conſecraverat veneratio, revera ægros omnes et a morborum ſeveritate et a remediorum faſtidio exoneravit.—Maxima autem Radclivio ſemper erit

gloria,

gloria, in omne ævum tranſmittenda et a nobis omnibus clarâ voce prædicanda: quod *Teſtimonio* legaverat, ut Oxonienſes ſui, ſingulis decenniis, binos artis medicæ ſtudioſos, ſtipendiis ſatis amplis ſuppeditatos, ad exteras medicinales colligendas divitias, et eaſdem ad pedes veſtros deponendas, in perpetuum emitterent: ut quicquid ſcholæ medicinæ extraneæ, novis inventis, notatu dignum ſuggerere potuiſſent, illa omnia ab hiſce viris, tam lautâ proviſione Radcliviană ſuſtentatis, in Britanniam noſtram, et in hoc collegium, maximo jure importanda fore expectare liceat; ita juvenis, maximæ ſpei, mihi conſanguineus, ſub tutelâ meâ inſtitutus, et nuperrimè illuſtriorum favore virorum, in hunc locum honeſtum conſtitutus: Oh! utinam ut multas tales divitias opimas, in hoc ſacrum collegium contulerit, in gratuitum avunculo ſuo ſolatium, qui apud vos, collegæ amiciſſimi, ſummo honore, et gratiſſimâ animi affectione, in amore habitus ſit.

His,

His, facilem ſe comitem adjungit Richardus Meadius, *præſidium* et *dulce decus* medicorum omnium; inter fratres inſignior, inter doctos eruditior, inter amicos jucundiſſimus. Literarum non fuit oſtentator, ſed comes amantiſſimus. literatorum Mæcenas munificentiſſimus; adeoque ut in omni liberali doctrinâ, et Græcis et literis Latinis, haud quiſquam plura fuerit expertus.

Anglici vero ſermonis tanta ei erat venuſtas, tanta oris ſuavitas—*Virgilium tantum vidi*—tanta comitas cum gravitate judicii conjuncta, ut in dicendo vel in ſcribendo, nemo inter homines fuerit unquam elegantior. Et ut in iis ſtudiis quæ homine ingenuo ſint digniſſima, ſic et in iis virtutibus quæ ingenuum animum maximè exornent, politiſſimus. Hic vir eximius variorum hominum mores et ſcripta ſimul contemplando, avidè arripuit, quodcunque erudita antiquitas, vel recentiorum ingenia aut eruditio ſuppeditare poterunt,

dum-

dummodo aut humanæ menti excolendæ, vel rebus medicis perficiendis inſervirent: et ea omnia tam felici induſtriâ in hanc artem tranſtulerat, ut longè omnes præſtantiſſimos, e quâcunque ſcholâ, ſuperaverit. Sed neque modò in arte et publicis conſiliis ſed in otio et privatis officiis ipſe ita ſibi cunctos devinxit humanitate, ut ſenes eum amabant, juvenes admirabantur, amici colebant, pauci niſi malevoli invidebant, in odio nemo habebat.

Meadio, tam amicitiâ quam arte conjunctiſſimus, Oxonio ortus, hujuſce collegii lumen præclariſſimum, effulgebat Friendus: hos habet, hos oſtentat gymnaſium noſtrum, magiſtros in arte noſtrâ illuſtriores; quibus nec Aſiaticæ ſcholæ jactaverint pares; nec Coiæ ſuperiores. Hic enim vir, omnibus naturæ et doctrinæ præſidiis adeo inſtructus erat ut artem difficillimam levi labore didicerit; et eâ diſciplinâ eruditus eam ſtrenuè ornaverit. In

ſcholis

ſcholis ſuis nonnullas artis partes, præcipuè chemiam accuratius quam pro temporum eruditione docuit: in urbe artem ſolertiſſimè exercuit. In ſenatu, ſenator ipſe, artem ipſam et civitatem noſtram eloquentiſſimè defendit. In amicitiis integer et incorruptus; et quantas hoc curarum noſtrarum ſolamen, commoditates omnibus ſecum afferat penitus inſpexerat, quippe quod ſocios ſuos non minus integrâ quam crebrâ admonitione edocuit, mœnia noſtra ſolum ſociorum conſenſione et fratrum concordiâ firmius ſtabiliri: et non aliter, quam odiis et diſſidiis, everti poſſe. Miram ejus in rebus reconditiſſimis ſolertiam; linguarum peritiam et elegantiam exquiſitam; diffuſam et profundam ſacræ et profanæ vetuſtatis perceptionem et comprehenſionem, agnoſcant omnes nos præſentes, nec in ſilentio habebunt poſteri.

In majores noſtros, quorum inſtitutis et benevolentiâ tot præclari medici in ſcenam publicam

 producti,

producti, inclaruerunt, ingratior videar, si multa eorum nomina, quorum scriptis instructiores in artem salutarem exercendam successimus, prætermitterem: sed vox et dies mihi deficerint, auditores, si omnibus, quibus maximo jure debeatur, laus foret dicenda; et quorum etiam nomina, annalibus famæ amplioris et insignioris consignata, enumerare quidem nequeam.

Ingratissimum autem omnino fuerit, si te, charissime Hamæe, in silentio præterirem, fautorem optimum nostrum.

Hasce enim ædes, per iniqua improborum et indoctorum consilia sub hastâ venditionis positas, hic vir ingenti suâ pecuniâ redemit, et nobis gaudentibus restituit: collegium nostrum a Linacro fundatum, conservatum Hamæo habemus; nam incendio illo immani, quo urbs Britanniæ florentissima deflagravit, ædes nostræ periissent, nisi

niſi Hamæi gratiâ factum ut pulchriores refurgerent.

Suus cuique eſt modus tam in benefaciendo, quam in cæteris rebus; ſed erga nos Hamæus omnibus inclaruit modis. Noſocomiorum ratione habitâ, ut iis nunquam defuturi ſint medici ex veſtro ordine experientiſſimi, ſtipendia jamjudum ampliſſima porrexerat Hamæus. Cœnaculum magnifico adornaverat opere; oratoris Harveiani honorarium auxit; convivium hodiernum lautius propriis fecit impenſis: quid mirum itaque fuerit, ſi vivens nos omnibus modis coluit et amplificavit, prædiis ſuis denique moriens locupletaverit.

Liceat autem mihi tam inſignibus, noſtri ordinis, viris alium adjungere; liceat *oratori* veſtro amicitiæ tandem indulgere ſuæ; liceat, auditores optimi, magnis his nominibus Virum adſciſcere, vobis omnibus dilectiſſimum, mihi vero arctiſſimâ con-

junctum amicitiâ; virum quem alii experti ſunt, non minus eximiâ comitate, animique manſuetudine quam morum ſimplicitate verè amabilem. ADDINGTONUS noſter, loco natus honeſto, ab ingenio literis a puero optimè fuerat inſtructus. A *Wiccamicis* in SACRO-SANCTÆ TRINITATIS Oxonii collegium tranſlatus; ubi ſtudiis operam, tam felici ſucceſſu navavit, ut primam lauream maturè adeptus eſt. Adverſâ autem valetudine, nimium feſtinanter ab Oxonio, et in rus, ut natalis ſoli et aeris frueretur oblectamentis, recipere ſe coactus: ibi, victûs regimine attentè ſervato, annis plus minus quam decem, in hunc modum exactis, convaluit. Sed dum ruſticus fuit, ne animi facultates in otio torpeſcerent, libros fere omnes de anatomiâ, de phyſiologiâ, et de chemiâ; multos etiam in re medicâ Græcorum ſcriptores, animo in ea ſtudia intentiore, perlegit; præcipuè autem, et præ aliis, Boerhavii opera evolvebat; cujus ſemper ſcholæ ſe amatorem profeſſus eſt.

QUARE

QUARE tandem in ſanitatem reſtitutus, ut præ-lectiones omnes, vitæ inſtituto, quam maximè con-ſentaneas, exaudire potuerit, in Oxonium denuò et mox Londinum ſeſe contulit: deinde titulo doc-toris medicinæ apud Oxonienſes ſuos adornatus, ſede et domicilio Readingæ conſtitutis, ad medendi ſcientiam in praxin reducendam eâdem induſtriâ, eodem, quô antea in acquirendo, labore indefeſſo incubuit; uxorem, benignam ſociam, ſibi adjunxit, e quâ pater-familiæ factus fuit; et, e filiis ejus, na-tu maximus, comitiorum in ſenatu fuit ROGATOR illuſtris: et in hunc excelſum honorem ob doctri-nam ſummam CATHEDRÆ illi ſublimiori maximè idoneam, et ob eloquentiam dilucidam publicâ voce vocatus.

POST aliquot annos Addingtonus noſter, ſedibus in Londinum tranſlatis, eâdem diligentiâ ſimul atque ingenio, in urbe, ut olim in rure, magnam ſibi famam conſecutus eſt. Quanto honore omnes medendi

medendi rationes exercuit exquisitas, quam singulari unumquemque ægrotum assiduitate observavit, hæc omnia, vobis omnibus inclaruerunt, et me dicere vetant hujusce orationis limites *.

Oh!

---

* Fama indies digniore amplificatus, per viginti & plures annos Londini artem nostram exercuit: Spartam nactus est, et eam strenuè exornavit; annos jam penè septuaginta natus, et in senectutem vergens, Readingam denuo rediit, ubi prorsus medicinæ usus deposuerat, paucorum nisi infelicium et miserorum gratiâ, quos rure apud se humaniùs receperat, et quibus auxilium et operam usque ad octogesimum et ultimum jam vitæ annum benignè largitus est; et subitò sublatus fuit.

" Anno hujusce seculi vicesimo (ex annalium sane nostrorum " monimentis, si fieri posset, eruendo) plures mente captos fuisse " memoriæ proditum est; in quos prodigus fortunæ favor amplissi- " mas confertim opes profuderit; quam quos iniqua eadem bonis " omnibus et omni patrimonio nudaverat. Non desunt hominum " exempla, quos memento temporis pessundederit vehemens exulta- " tio: anima quasi intercluſa, et vim magni subitique motus non " sustinente; ideoque hanc aliis apoplexiæ causis merito jure annu- " merat Aretæus *." De Rhodio Diagorâ celebrata est historia: is Diagoras tres filios adolescentulos habuit, unum pugilem, alterum

* Παρέλυσέ ποτε και χάρμα ἀδόκητον, και μεγα, και γέλως ἄσβεστος μεχρι θανάτου, ἀλλὰ ταῦτα μὲν, αρχη πρωτη.—Aretæus p. 35. Edit. Boerh.

pancratiasten,

Oh! utinam, auditores, ut longiùs proveherer, ut omnia quæ, amicitiæ ergô, de præſtantiſſimo hoc viro poſſim, enumerarem; ſed prætermittere plurima temporis ratio jubet: et ipſa virtutum copia, quæ graviorem jacturæ reddat recordationem, me ab ulteriore revocat commemoratione.

---

pancratiaſten, tertium luctatorem; eos omnes vidit vincere coronarique Olympiæ eodem die; et quum ibi eum tres adoleſcentes amplexi, coronis ſuis in caput patris poſitis, ſaviarentur, quumque populus gratulabundus flores undique in eum jaceret, ibi ille in ſtadio, inſpectante populo, in oſculis atque in manibus filiorum, animam efflavit.—*Aulus Gellius*, iii. xv. p. 242, *Ed. Gronov.*

Paulo aliter Cicero, *Tuſcul.* p. 112. *Ed. Daviſ.* "Laconis illa vox, qui cum Rhodius Diagoras, Olympionices nobilis uno die filios ſuos victores vidiſſet, acceſſit ad ſenem et gratulatus, *Morere, Diagora*, inquit, *non enim in cœlum aſcenſurus es.*—Ciceronem ſequitur Plutarchus, *Vit Pelopid, vol.* ii. 396. *Ed. Reiſkii.*

Sic quoque mortuus eſt Chilo ille Lacedæmonius, ὃς τῶν ἑπτὰ σοφῶν πρῶτος ἔφυ σοφιῇ.——Ετελεύτησε δὲ, inquit Diogenes Laertius, ὥς φησιν Ἑρμιππος, ἐν Πισῃ, τὸν υἱὸν Ὀλυμπιονίκην ἀσπάσαμενος πυγμῆς. Ἔπαθε δὲ τοῦτο ὑπερβολῇ τε χαρᾶς καὶ ἀσθενείᾳ πολυετίας.—*Diog. Laert.* i. 72. vol. i. p. 45.

Sublatus est nobis hic vir optimus, doctissimus, peritissimus. Sublati quoque jamjudum fuerunt hi omnes quorum famam, doctrinam, et virtutes tam abundè prædicavimus; et omnia præter nomina, et opera nunquam peritura, cum corporibus extincta et eversa jacent. Debemur morti nos nostraque: sed nec nobis nec illis prosint lachrymæ in vacuum effusæ; quin potius, quoniam omnes eadem devinxit conditio, et impræsentiarum æterna non capimus consilia, hæc dulcia habeamus solatia, majores tam præclaros tam insignes nos habuisse; qui, luminum tot cælestium ad instar, alternis vicibus, ad patriam illuminandam, ad civitatem, ad cives omnes subveniendos et opitulandos; et ad artem nostram, tam apprimè utilem, tam maximè necessariam succurrendam, promovendam, et vindicandam, exorti sunt.

Profecto quoniam Virum, qui nostram hanc condidit civitatem in summum laudis fastigium

ob

ob benevolentiam famamque ſuſtulimus; et quoniam apud vos, apud poſteros omnes in ſummo habendi ſunt honore, illi omnes, qui eandem hanc civitatem conditam amplificatamque ſervaverint; veſtrum erit omnia circumſpicere, ne omnia periclitentur: quis enim, cui templa hæc ſint tam cara, quam dulcia et jucunda, optaret ut cum legibus noſtris omnia extincta et everſa jacerent. Miſerum fuerit vi exturbari a ſedibus noſtris, miſerius, fraude et injuriâ; acerbum ab aliis circumveniri, acerbius a propinquis et quaſi fratribus; indignum a pari vel ſuperiori vinci, indigniſſimum ab inferioribus et humilioribus.

Redeat pax alma! ſed genus eſt hominum, qui omnia in meliores ſemper partes mutare velint, quamdiu in meliorem rerum ſtatum ſibi ipſis potuerint mutare; nolumus noſtræ reipublicæ leges mutare: ſunt autem hiſce temporibus, qui ſe omnium eſſe primos contendunt, nec ſunt; et

qui ſub prætextu publicæ utilitatis promovendæ, omnia ſatis apta et ſuis commodis ſuoque imperio avidiſſimè contemplantur : rerum ſacrarum antiſtites, rebus ſacris omnibus ſub pedibus conculcatis, per urbem, per provincias, per totum terrarum orbem, belli, horridi belli, claſſica inflaverunt.

Sed hæc omnia, pro nihilo ducenda, aliis quaſi nugas relinquamus, quanquam hæ nugæ multos poſſint in ſeria ducere mala, in omne ævum deploranda ; et virtutem, ſolum et unicum veræ ſapientiæ et honoris fontem, in perpetuum colamus ; artem et noſtram omni labore, omnique ſtudio, ſeduliſſimè in ſummum gradum efferamus ; et vos, viri integerrimi, ſemper mores teneatis antiquos, veſtram ſemper teneatis auctoritatem, a majoribus per multos annos traditam, fide et firmitate animi, et conſtantiâ, et liberali ita munitam cuſtodiâ, ut hos Cœtus, dulces et ſolennes, et hanc venerabilem Ædem nulla unquam attingat infamia.

Missis autem omnibus his lamentis, haud magni momenti, ut dicam planè quid ſentio, nobis interim congratulari liceat, Collegæ ornatiſſimi, qui majorum noſtrorum quodam numine excitati, generoſum aliquod et magnificum in publicum commodum et in publicam pacem honorificam, intus ardere ſentimus; quique, qualeſcunque fuerimus, anteaquam intra haſce ædes recepti, cum tamen noſmetipſos tanquam illis affines, et, jure adoptionis, fratres eorum habeamus, nobiliorem illicò animi indolem aſſumere videamur, et tantam vim habent bonorum exempla, ut paulatim ad eorum animi magnitudinem et benevolentiam erga cives omnes aſſurgamus.

Alii ex aliis inclaruerunt viri; ſingulorum et univerſorum eadem adeſt æmulatio: alter ex alterius laboribus ulteriores adhuc facit progreſſus; quippe quod tantarum rerum contemplatione, frigidora etiam pectora incaleſcerent; ingenium, otio et ig-

naviâ torpeſcens, exuſcitaretur, et doctrinæ admirationem et ſcientiarum culturam patientem, verba et voces, haud invita ſequerentur. Adeo ut omnes diverſæ medicinæ partes, ritè ſic appellatæ, ſummo nuperrimè ſtudio, et ſecundioribus avibus, excultæ fuiſſent.

In anatomiâ, culter quaſi *ſacer* origines, ſedes, cauſaſque multorum morborum antea ignotas in clarâ luce poſuit. Res anatomicæ digniſſimæ ſemper à majoribus noſtris judicatæ fuerunt, in quibus maximè elaborarent; ita de illis omnibus, noſtrates, hiſce diebus maximo jure gloriari poſſunt, ut vix quicquam jam habeamus quod magis in laudem et decus ſocietatis noſtræ redundaverit.

Herbarum potentia ſubjicitur vobis. Et chemia, quanquam pars quondam phyſicæ fuerat, et adhuc in infantiâ videbatur eſſe, et crepundiis delectari, ita ut librorum turba in ſylvam immenſam

immenſam producitur, anteaquam fundamenta ipſa ſcientiæ fixam et immotam ullam habeant ſedem; et contentio adhuc major de terminis quam de ſoli poſſeſſione permanſit; ſed ea pars dicta, *philoſophica chemia*, adeo familiariſſimè et amiciſſimè cum medicinâ ſtabile connubium conjunxit, ut a medicis omnibus, maximi momenti, in arte ſuâ exercendâ ſemper habenda ſit: hinc inconditæ medicamentorum formulæ ad ſimplicem et utiliorem elegantiam revocantur; hinc nova Pharmacopœia *Collegii Regalis Medicorum Londinenſium* apud noſtras, apud exteras gentes ſummam adepta eſt famam.

Vestræ etiam, ſocii præſtantiſſimi, vigilantiæ debetur, quod ſingulari fide et prudentiâ omnia ſint adminiſtrata; quod ærarium noſtrum ſit valdè locupletatum; quod novo ſplendore eniteſcant mœnia; quod Bibliotheca noſtra novis ſit inſtructior libris, et multâ magnificâ ſuperlectili adornata.

Ita

Ita ut quantum nos hujuſce ævi majoribus debeamus noſtris, tantum vobis debituri ſint poſteri: quid pluris denique ſit veſtrum, quam, quod facitis in præſentiâ, ut majoribus noſtris, qui nobis hos præclaros tradidêre honores, ita gratias habeatis maximas, ut poſteris ſimillimos et æquè inſignes præſtetis. Ita ut majorum virtutes et dignitates ſuſpicientes et admirantes, optimos et illuſtriores eorum non ſolum æmulemini; verum etiam, uti confido, eorum *famam*, *doctrinam*, et *pietatem* erga *matrem* hanc noſtram *auguſtam* ſuperetis.